



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibvs Cvram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorvm, 1609

13. Cap. De Irregularitatibus, quæ incurruntur circa malam receptionem & exercitium ordinum, & violationem censurarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721

CAPVT XIII.

DE IRREGVLARITATIBVS,
 qua incurruntur circa malam receptio-
 nem & exercitium ordinum, &
 violationem Censura-
 rum.

PRIMA *Conclusio.* Existens in maiori ex-
 communicatione scienter, & recipiens or-
 dines, etiam minores, efficitur irregularis. ca-
 pit. 1. de eo, qui furtiuè suscepit ordines. & cap.
 Cum illorum. de sentent. excommun. Eadem
 est ratio, quando quis suspensus ab ordine sci-
 enter eum recipit. Dictum est (in maiori ex-
 communicatione) quia in minori recipiens
 ordinem quamuis peccet, non tamen efficitur
 irregularis.

Secunda Conclusio. Qui excommunicatus,
 interdictus, aut suspensus, celebrat, aut exer-
 cet actum alicui ordini attributum, fit irre-
 gularis, cap. Si quis presbyter. de clerico ex-
 comun. ministrante, & DD. ibidem. & c. 1.
 de sentent. excommun. in 6.

Tertia Conclusio. Qui quatuor minores or-
 dines, & Subdiaconatum vno die absque dis-
 pensatione Apostolica recipit, incurrit irre-
 gularitatem, cap. 2. de eo, qui furtiuè suscipit
 ordines, & communis sententia ibidem. Pu-
 tat

tat tamen Antoninus 3. part. tit. 14. capit. 16. quod quando in aliquo loco talis est consuetudo, quod recipientes excusentur, & à fortiori, omnium sententia est irregularis suscipiens duos sacros eodem die.

Quarta Conclusio. Qui recipit ordinem furtiue fit irregularis, patet ex toto tit. de eo qui furtiue suscipit, &c.

Quinta Conclusio. Efficitur etiam irregularis, qui solemniter exercet actum ordinis quem non habet: vt si constitutus in minoribus cum stola & alijs ornamentis debitis canet Epistolam. cap. 1. & 2. de clerico non ordinato administrante: Si autem clericus in minoribus sine sacris vestibus, vt alius clericus in necessitate nullo existente Subdiacono canet Epistolam, non incurrit irregularitatem: quia id sine solemnitate tanquam minor clericus facit.

Sexta Conclusio. Ordinatus ab Episcopo excommunicato, interdicto, simoniaco, hæretico, deposito, aut degradato, est irregularis, 1. qu. 1. can. Gratiam. cap. Statuimus. cap. Si qui. cap. Constat. &c. hoc tamen intelligendum, quando Episcopus talis est denunciatus.

Septima Conclusio. Qui per saltum ordinatur recipiendo maiorem ordinem ante minorem, aut superiorem ante inferiorem fit irregularis, cap. 1. de clerico per saltum promotio.

Octaua conclusio. Suscipiens ordines ab alie-

no Episcopo sine licentia proprij, sine literis demissorijs, vel extra tempora, est suspensus vt supra dictum. ex Extrauag. Cum ex sacrorum, & si exercet actum ordinis ante absolutionem, fit irregularis, de pulchrâ & notabili intelligentia d. Extrauag. videndus, Nauarr. in cap. Accepta. de restitut. spoliat oppositione 8. Eadem est ratio de eo, qui ordinatur ab Episcopo, qui loco & dignitati renunciauit, sic ordinatus est irregularis.

Nona Conclusio. Qui celebrat, aut exercet actum alicuius ordinis peculiarem in loco interdicto, extra casus à iure permisos, fit irregularis. capit. Is qui. & cap. Is cui. de sentent. excommuni; in 6. Intellige in loco interdicto ab homine.

CAPVT XIV.

DE ALIIS QVIBVSDAM Irregularitatibus, quæ ex delictis nascuntur.

PRIMA *Conclusio.* Scienter rebaptizans, & sic rebaptizatus efficiuntur irregulares. Intellige de rebaptizato, qui scit se baptizatum & permittit se iterum baptizari, de consecrat. d. 4. can. Quibus. & c. Eos. & cap. Ex literarum de apostatis & reiterantibus Baptismum.

Secunda